

cialiter prohibeatur, cujus licentiam sibi reservet superior Prælati.

8. *Explicatur deinde questio quoad secundum genus, an scilicet, novitii dispensari valeant.* — *Primum pronuntiatum, de dispensationibus ad tempus.* — In secundo puncto de novitiis, quod ad vota attinet, superius tractatum est; quod vero pertinet ad communes observantias vel præcepta religionis, in eis locum non habet, quia illi non obligantur in rigore his præceptis, et ita non indigent propria dispensatione; sed ut suæ religioni et probationi satisfaciant, indigebunt licentia Prælati, quam certum est posse ab ipso dari, quamvis, ut recte fiat, prudens causa necessaria sit. Solum ergo potest dubitari de ecclesiasticis præceptis, aut de effectibus eorum. In quo agi potest vel de observantia et executione talium præceptorum pro tempore tantum illius anni probationis; vel de dispensatione aliqua perpetua et durabili. Priori modo, dicendum est posse Prælatum dispensare cum novitio in his, in quibus posset a suo Episcopo dispensari, ut in jejunio, vel in audienda Missa, et similibus. Ratio est, quia pro illo tempore gaudent privilegio exemptionis, et quoad spiritualia sunt sub propria cura Prælatorum religionis; ergo hi Prælati possunt exercere circa illos jurisdictionem quasi Episcopalem, ad quam pertinet hæc dispensatio. Et confirmatur, quia hic modus dispensationis regulariter est necessarius, et in tali statu neque expedit, nec convenienter fieri potest ut novitius habeat recursum ad alium Prælatum, præter eum regularem, sub cujus disciplina vivit; ergo. Unde, si Prælati religionis ex propriis privilegiis majorem aliquam in hoc habet potestatem circa suos religiosos, etiam illam extendendam censeo ad novitios; quia, licet novitius in rigore non sit religiosus, et quoad odiosa non comprehendatur sub hac appellatione, nihilominus quoad gratias et favores comprehenditur, juxta communem doctrinam. Potestas autem dispensandi favorabilis est, et ideo ample interpretanda, licet dispensatio sit restringenda.

9. *Secundum pronuntiatum de dispensationibus in perpetuum.* — Posteriori autem modo dicendum est, Prælatum religionis non posse cum novitiis dispensare, scilicet, dispensationes perpetuas eis concedendo, quæ in eis durent, etiamsi postea non profiteantur, sed habitum relinquunt. Probatur, quia illi non sunt absolute et perpetui subditi. Item, quia esset irrationabilis dispensatio, quæ potius cedere

posset in nocuum religionis, quam in favorem. Denique, nullo jure vel privilegio talis potestas ostendi potest. Unde etiam colligo non posse novitium dispensari virtute privilegiorum religionis ad effectus perpetuos, seu permanentes in tali persona, etiamsi religionem relinquat; quia illa formaliter vel virtualiter est quædam dispensatio perpetua. Hujusmodi esse censeo dispensationem ad ordines suscipiendos, sive sit dispensatio in irregularitate, sive in interstitiis, sive in recipiendo ordines extra tempora; esto enim possit Prælati per privilegia cum suis religiosis in hujusmodi dispensare, non est extendenda illa potestas ad novitios, nisi in ipso indulto expressa mentio illorum fiat. Ratio est, quia, considerata materia talium privilegiorum, non potest prudenter ad novitios fieri extensio, cum tamen in rigore verborum sub religiosis non comprehendantur, ut per se constat. Assumptum declaratur, tum quia illa extensio non est accommodata statui novitii, ut sic, nam ille habet statum annum (ut sic dicam) et facile mutabilem, dispensatio autem fit ad rem perpetuam; tum etiam quia potestas super novitios solum conceditur ad spirituale regimen eorum pro tempore probationis, et consequenter solum extenditur ad ea quæ ad hunc finem sunt necessaria; hujusmodi autem dispensationes nihil solent ad illum finem referre; tum denique quia talis dispensatio posset interdum cedere in injuriam Episcopi, cui novitius, ut secularis, subjectus est quasi radicaliter, et erit etiam actualiter, si ad seculum revertatur, manebitque clericus secularis irregulariter ordinatus, sine licentia sui Episcopi, quod est inconveniens, et contra debitum ordinem; et ideo præsumendum non est Pontificem in hoc sensu concedere privilegia. Neque obstant privilegia quædam Sixti IV, quæ referuntur in Mari magno<sup>1</sup>, et in lib. Montim. ordin., concessa Prædicatoribus et Minoribus, ut cum novitiis possint dispensare in quibusdam irregularitatibus; quia si illa comprehendunt novitios, ideo est quia illos expresse nominant; unde potius sumitur argumentum ab speciali, nimirum, quando expresse non nominantur, non comprehenduntur in hujusmodi privilegiis; quomodo autem illa privilegia intelligenda sint, alibi tractatum est. Et simile privilegium concessum est Societati a Paulo III.

10. *De tertio genere personarum in eodem n. 1.*

<sup>1</sup> Vide Emman. Roder., tom. 1, quæst. 24, art. 15.

In tertio puncto, de dispensatione cum extraneis familiaribus, vel servientibus religioni, pro regula habendum est, tunc solum extendi hanc facultatem ad has personas, quando in indulto fuerint expressæ. Quia neque in proprietate verborum sub religiosorum nomine comprehenduntur, neque etiam secundum aliquam extensionem, quæ in jure, vel in communi modo loquendi habeat aliquod fundamentum. Necessaria ergo est extensio, quæ ab ipso Pontifice fiat per expressa verba, de qua nihil dicere possumus ex jure communi, quia nullum est quod talem potestatem concedat. Consulenda ergo sunt particularia privilegia: hujusmodi autem est privilegium quod Eugenius IV concessit monachis S. Hieronymi, quo aliæ religiones per communicationem utuntur, scilicet, ut Prælati conventuales possint dispensare cum familiaribus monasteriorum in jejuniis ecclesiasticis, vel etiam ut diebus prohibitis possint ratione infirmitatis carnes et ova comedere, de consilio medici, vel etiam sine illo, si commode habere non possit; de quibus vide in Compendio Minorum, verb. *Jejunium*, § 7, et in Compendio Societatis, verb. *Dispensatio*, § 7.

#### CAPUT XV.

AN IN PRÆLATIS RELIGIOSORUM SIT POTESTAS TUM AD ABSOLVENDUM SUOS SUBDITOS A CULPIS NON RESERVATIS, TUM AD DELEGANDUM ALIIS TALEM POTESTATEM.

1. Quoniam in superioribus constituimus differentiam inter dispensationem et absolutionem, ideo, explicata in tribus proximis capitibus potestate dispensandi, necessarium est de potestate absolvendi in specie dicere. Duplex autem est absolutio, quæ ad præsens pertinere potest, scilicet, a peccatis, et a censuris vel poenis ecclesiasticis; nullum enim aliud spirituale vinculum excogitari potest, quod per absolutionem tollatur; nam, si quæ sunt alia, ut legum, irregularitatum, aut votorum, non tolluntur per absolutionem, sed per dispensationem. Duplex ergo hinc oritur questio principalis: una est de potestate absolvendi a peccatis in foro sacramentali; alia de potestate absolvendi a censuris.

2. *Prima assertio, de absolutione a peccatis indistincte.* — Circa priorem, multa in præsentis diei possent, nisi ex principiis positiss in 4 tomo, circa jurisdictionem fori sacramentalis, et ex dictis in superioribus de munere et

jurisdictione Prælatorum regularium, res esse satis nota; et ideo breviter applicabimus generalia principia ad hanc materiam, proponendo ea quæ in ipsa servanda sunt, tam circa peccata non reservata, in hoc et duobus capitibus sequentibus, quam circa reservata in c. 18 et 19. Primo ergo certum est habere Prælatos religionum ordinariam jurisdictionem ad absolvendum suos subditos religiosos a peccatis. Patet, quia sunt ordinarii pastores animarum suorum subditorum, et in eos translata est cura, quam Episcopi vel Parochi habent circa suos subditos seculares; ergo habent prædictam jurisdictionem ex vi sui muneris, quod est habere illam tanquam ordinariam. Denique hoc est per se notum ex usu, et institutione fere omnium religionum exemptarum, sequiturque necessario ad ipsam exemptionem, ut supra dictum est. Et ideo hic nihil agimus de religionibus non exemptis, nam illæ, sicut sunt sub jurisdictione Episcoporum, ab ipsis, vel per ipsos habere debent suos proprios sacerdotes, seu vicarios, a quibus absolvantur; vel si circa hoc habuerint aliqua specialia privilegia Pontificia, juxta illa debent quoad hanc partem seu jurisdictionem ab Episcopis gubernari.

3. *Secunda assertio.* — *Comparatio Generalis cum Papa, vel cum Archiepiscopo, in quo deficiat.* — Secundo est certum, hanc jurisdictionem esse in pluribus Prælati regularibus inter se subordinatis respectu ejusdem seu eorundem subditorum. Explicatur, nam Prælati conventuales habent hanc jurisdictionem circa religiosos sui conventus, et circa eosdem habet Provincialis eandem jurisdictionem de se æque immediatam quoad usum absolvendi subditos, si velit, independentem a voluntate Prælati conventualis, vel etiam ipso renuente. Et cum eadem proportione habet similem jurisdictionem Generalis in eosdem subditos totius religionis, seu ditionis suæ. Hoc etiam est certum ex præxi religionum, et ex intrinseca ratione talium munerum; omnes enim hi sunt proprii et ordinarii Pastores talium animarum magis vel minus universales; quæ universalitas non tollit prædictam immediationem quoad potestatem, sed ponit subordinationem inter dietos Prælatos, etiam in usu hujus potestatis, ita ut inferior pendeat a superiore, non vero e converso. Exemplum est in Parocho, Episcopo et Pontifice, qui omnes habent jurisdictionem immediatam dicto modo in hoc foro cum subordinatione. Unde Prælati conventuales solent Parochis compa-

rari in hoc foro, quia sunt proximi pastores ordinarii talium animarum; Provinciales autem tanquam Episcopi; Generales vero non habent tantam proportionem cum Pontifice, quia ille est simpliciter supremus et ordinarius Pastor etiam in hoc foro ipsorum religiosorum; Generales autem sunt sub ipso Summo Pontifice, et ideo solent comparari Archiepiscopis vel Patriarchis. Sed in hoc differunt ab eis, quod Archiepiscopus non habet jurisdictionem ordinariam in hoc foro in diocesis suffraganeorum, nisi dum visitat; Generalis autem semper est ordinarius Pastor, et ideo ipse etiam uti potest immediata tali jurisdictione modo supra dicto. Et hanc existimo esse institutionem et observantiam omnium religionum. Video enim non repugnare institui alio modo hujusmodi prælaciones universales, et præcipue Generalis Prælati, ut, scilicet, in hoc foro non præoccupet munus proprii et immediati Prælati, ad quem maxime pertinet conscientiam subditi cognoscere; sed nihilominus talis institutio non esset accommodata statui religioso, nam illa Prælatio esset magis forensis et externa, quam spiritualis et paterna, quam postulat religiosus status in quocumque gradu et ordine Prælationis.

4. *Tertia assertio.* — *Prælati regularis obligatur ad delegandam potestatem ad absolvendum a culpis.* — Tertio, hinc etiam certum est quemlibet ex his Prælati posse hanc jurisdictionem pro suis subditis aliis delegare. Probatur, quia quicumque habet potestatem ordinariam, potest illam delegare, ut dicto tomo 4 late diximus; neque in præsentis est ulla ratio limitandi hoc generale principium, seu faciendi exceptionem. Imo est hic quidam speciale adnotandum; nam inter seculares ordinarii Pastores, ut Parochi, verbi gratia, licet possint, non tenentur suam jurisdictionem delegare, sed possunt velle per se audire confessiones suarum ovium, ordinarie loquendo; at vero in religionibus hoc non esset expediens; licet enim superior, ratione sui muneris et potestatis, debeat esse paratus ad confessiones subditorum audiendas, si ipsi velint ei confiteri, non tamen debet ordinarie ad hoc illos cogere, et ideo necesse est, moraliter loquendo, jurisdictionem hanc alicui alteri delegare, cui religiosi libere confiteantur. Quod si quis quærat quanta et qualis sit hæc necessitas, seu obligatio Prælati, respondetur imprimis ex natura rei videri esse gravem, quia retinere in se solo jurisdictionem hanc esset

abusus quidam in illa, contra religionem sacramenti, et contra salutem animarum subditorum, nam ob hanc causam multis periculis exponitur. In quo est magna differentia inter superiorem regularem, et secularem Parochum, tum propter majorem dependentiam quam habet religiosus ad suum superiorem; tum etiam quia ab eo regitur in omnibus rebus, et timere potest ne notitia sacramentalis fori cum alio regimine misceatur, maxime cum ab eodem possit suo modo in exteriori foro judicari et puniri. Propter quæ etiam ex proprio instituto et regula existimo teneri unumquemque Prælatum ad hanc delegationem faciendam, et ita etiam crescat obligatio, quamvis ex hoc capite non excedat obligationem regulæ. Quia vero res hæc magnæ considerationis est, ut obligatio esset clarior, speciali lege imposita est a S. D. N. Clemente VIII, in Decreto de Reservatione casuum pro regularibus, ubi, § 2, sic inquit: *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.*

5. In quibus verbis primum expendo loqui de superioribus indefinite, et ita comprehendere omnes, tam conventuales quam majores. Ex quo fit, necessario teneri ad delegandam suam jurisdictionem aliis confessoribus; alioqui cogentur religiosi illis confiteri, et ipsi eos audire. Deinde adverto, sermonem esse de ordinariis culpis, et confessionibus earum, non de reservatis; de quibus proinde exceptio adjungitur, quam infra in cap. 18 tractabimus. Præterea ponderanda sunt illa duo verba, *sponte, aut proprio motu*; nam quod fit proprio motu, excludit alterius inductionem, petitionem aut consilium, quæ non excludit particula *sponte*; et ideo securius quidem est ut hoc non fiat nisi proprio motu ipsius poenitentis; si tamen fiat sponte, id satis erit, quia verba Pontificis disjunctiva sunt; fiet autem sponte, etiamsi consilium aliquod vel inductio antecedit; cavendum est autem ne timor aliquis reverentialis, aut nimia persuasio, quæ est virtualis quædam præceptio, intercedat; nam tunc moraliter non censetur actus fieri sponte, prout Pontifex per illa verba intendit. Denique verbum *non liceat*, præceptivum est, et sufficiens ad inducendam gravem obligationem, si materia sit gravis, cujusmodi esse videtur materia hujus præcepti, cum pertineat ad debitum usum sacramenti adeo necessarii.

6. *Unus modus delegandi plures confessarios*

*in uno conventu.* — *Alter modus.* — Hinc consequenter jubet idem Pontifex ibidem, num. 3, ut superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut quatuor confessarios pro subditorum numero majori vel minori, qui generalem habeant facultatem absolvendi a non reservatis. Quod præceptum consequens est ad superiorem prohibitionem, ut declaravi, et confirmat assertionem nostram. Addit vero delegationem hanc esse multis faciendam, ad minimum enim numerat duos, plures autem adjungit, si necessarium fuerit. Dubius autem est sensus horum verborum, nam potest esse duplex. Unus est, ut illic duo vel plures confessores indifferenter pro omnibus religiosis talis domus designentur, ita ut liberum sit unicuique religioso, cui voluerit eorum, confiteri. Alius est, ut signentur quidem plures, qui inter se habeant divisum onus audiendi confessiones omnium; ita tamen ut unicuique definita pars et certæ personæ designatæ sint, neque possint, qui uni commissi sunt, alteri confiteri. Videri autem potest Pontifex intendere primum sensum, quia intendit providere quomodo religiosorum confessiones liberius fiant, ita ut propter verecundiam, vel difficultatem se aperiendi, non versentur in periculo committendi sacrilegium; ad hunc autem finem multum conferret, si confessores sint plures priori modo. Item, quia alias non esset necessarium semper duos designare, sed unus satis esset, si pro parvo conventu sufficeret.

7. Nihilominus non opinor fuisse mentem Pontificis obligare superiores religionum ad designandum plures confessores priori modo, scilicet, pro singulis religiosis. Primo, quia id non satis explicat; si autem voluisset hoc onus imponere, cum sit novum et extraordinarium, amplius declarasset illud. Secundo, id colligo ex verbis illis, *pro numero subditorum majori, vel minori*; nam ex eis constat rationem postulandi plures, non esse ut singuli religiosi multos habeant confessores, alias non pro numero poenitentium, sed pro uniuscujusque conditione vel indigentia essent multiplicandi confessores; ergo ratio solum fuit, ut onus divideretur inter plures, si opus esset, quod spectat ad secundum sensum supra positum. Unde etiam censeo non esse mentem Pontificis, ut hi confessores debeant ad minimum ac necessario esse duo, etiam in parvo conventu; nam illa verba, *pro numero subditorum*, reddunt etiam conditiona-

lem sensum, scilicet, si numerus subditorum plures vel pauciores confessores postulaverit; si ergo unus confessor pro tali numero satis sit, non est voluntas Pontificis ut duo necessario constituentur. Idque usu ita receptum est, ut videre maxime licet in monasteriis monialium, quibus non minus necessaria est providentia illius Pontificii decreti; et tamen quando numerus religiosarum magnus non est, unus tantum vicarius, vel confessor ordinarius ab Episcopo vel Prælato eis solet assignari. Idque plane supponit Concilium Tridentinum, sess. 25, de Regular., cap. 10, solumque providet, ut, *præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, et aliis superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Unde possumus retorquere argumentum supra factum, quia non est necessarium multiplicare hos confessores, ubi numerus religiosorum plures non requirit; ergo ubi propter numerum plures multiplicantur, non oportet singulos designari pro toto conventu, sed satis est unicuique certam aut definitam partem ejus committere. Quarto, secluso speciali jure, potest uterque illorum modorum eligi, et unaquæque religio, vel superior ejus, posset inter illos duos modos prudenter arbitrari, vel priorem eligendo, tanquam humanæ fragilitati magis accommodatum, vel posteriorem, tanquam ad severitatem disciplinæ religiosæ et ad perfectius regimen spirituale animarum magis aptum; ergo non est verisimile voluisse Pontificem excludere hunc posteriorem modum, et priorem omnino præcipere, præsertim pro ordinariis confessionibus peccatorum non reservatorum, nam de reservatis infra dicemus, in cap. decimo octavo.

8. *Questiuncula suborta, an confessor, juxta Clementem designandus, dicendus sit delegatus.* — Sed quæret aliquis cur hujusmodi confessorius delegatus a nobis dicitur, et non potius ordinarius, sicut Prælati ipse conventualis ordinarius est, non obstante jurisdictione Provincialis. Est enim considerandum, quod, licet Prælati conventualis comparetur Parocho, quia ad unam tantum Ecclesiam seu locum jurisdictionem suam ordinariam definitam habet, nihilominus quoad jurisdictionem habet illam superioris rationis, et quasi Episcopalem, et ideo casus habet sibi reservados, et non constituitur ut ordinarie confessiones subditorum audiat; ergo optime potest habere sub se confessorem,

qui vere sit tanquam Parochus in hoc foro, et consequenter habeat jurisdictionem ordinariam; ergo, cum talis confessor ex legis necessitate constituendus sit pro tali munere, potius dicendus est habere jurisdictionem ordinariam, quam delegatam. Et confirmatur, nam hujusmodi confessor solet a Provinciali vel Definitorio eligi, sicut alii ordinarii officiales; et ex vi sui muneris, requirit hanc jurisdictionem; ergo est ordinaria.

9. Respondetur, imprimis a posteriori constare, hanc solum esse delegationem jurisdictionis, quia (quod ad rem maxime spectat) non potest hujusmodi confessor suam jurisdictionem alteri committere; si autem haberet illam ut ordinariam, posset eam delegare. Antecedens patet ex consuetudine, et ex mente Prælatorum. Item est optima ratio, quia Prælati dum committunt vices suas hujusmodi confessori, eligunt industriam personæ. Unde etiam Clemens, in Decreto, dicit designandos esse confessores qui sint docti, prudentes, et charitate præditi. Ergo solum eis committitur ut per se possint talem jurisdictionem exercere, juxta commissionem sibi factam. Denique, hæc jurisdictio pendet ex hominis concessionem, et ab illius voluntate descendit; est ergo delegata. Nec refert quod ex necessitate legis seu regiminis talis confessor constituendus sit, nam hoc ipsum sufficienter fit per delegationem. Quod vero talis jurisdictio committatur a Provinciali, vel a proximo superiore, parum refert, quia ab utroque fieri potest per modum delegationis. Nec invenio hoc universali aliquo jure definitum; nam Clemens VIII, in dicto decreto, solum dixit: *Superiores in singulis domibus deputent, etc.*, quod respective referendum est ad eos superiores, ad quos provisio talium officiorum spectat; qui autem illi sint in unaquaque religione, ex proprio jure et modo regiminis intelligendum est.

10. *Observanda circa hanc partem.* — Ad dendum vero ulterius est, non obstante illa delegatione, vel ordinaria commissione, quam Prælati ex officio faciunt, constituendo ordinarium confessorem, posse extraordinarie eandem jurisdictionem suam aliis delegare, vel ex parte Sacerdotis, dando illi directe jurisdictionem; vel ex parte subditi pœnitentis, dando illi facultatem ad eligendum confessorem. Hoc constat, quia ordinaria potestas pluribus delegari potest, quod maxime locum habet in hac jurisdictione, quæ non exercetur sine voluntate et subjectione pœni-

tentis; per hoc autem quod superior potestatem suam uni commisit, non se privavit potestate et libertate delegandi aliis eandem jurisdictionem. Solum observare debet Prælati primo, ne hoc faciat modo sibi prohibito per suam regulam; nam, licet pro una vice, seu ad aliquem actum facile hoc concedatur Prælati, tamen concedere subditi absolutam et permanentem facultatem eligendi confessorem quem voluerit, forte non possunt secundum regularem disciplinam. Et similiter, quamvis possit committere cuicumque Sacerdoti ut semel audiat confessiones subditorum, tamen constituere illum ut ordinarium confessorem simul cum alio, præsertim respectu eorumdem pœnitentium, sæpe etiam non poterit secundum regulam; illa ergo est consulenda et observanda. Plurimum etiam advertere debet, ne nimia facilitas in his facultatibus vel delegationibus vergat in spirituale nocuum subditorum, quod facile accidere potest, nisi in personarum delectu magna consideratio habeatur.

## CAPUT XVI

AN IN ALIIS ETIAM PRÆTERQUAM IN PRÆLATIS RELIGIOSORUM, VEL EORUM DELEGATIS, SIT POTESTAS ILLOS ABSOLVENDI.

1. *Resolutio affirmativa quoad absolutionem venialium.* — *Questio præsentis capituli bipartita pro mortalibus.* — Hic occurrit quæstio, an liceat religiosis alteri confiteri præterquam confessori sibi designato a suis Prælati, vel de illorum facultate. Et ut certa ab incertis separemus, non est quæstio de confessione venialium, vel in universum de materia non necessaria: quia ad hanc, ut rite fiat, non est necessaria specialis jurisdictio, sed illa sufficit quæ omnibus simplicibus Sacerdotibus communis est; et ideo si a religioso fiat talis confessio sine licentia Prælati, in rigore valida erit, nec erit gravius peccatum quam sit unius regulæ transgressio, quæ, si non obligat in conscientia, illa imperfectio per se non attinget venialem culpam; et licet obliget in conscientia, non credo esse illam materiam mortalis culpæ, per se loquendo, ac secluso contemptu vel scandalo; quia, cum sacramentum de se sit validum, et alioquin non simpliciter necessarium, modus ille non est adeo gravis, ut defectus illius ad peccatum mortale sufficiat. Difficultas ergo est de confessione de materia necessaria. In qua etiam

est certum, jure ordinario, et secluso privilegio, non posse regulares aliis confiteri, nisi confessoribus a suis Prælati designatis: quia reliqui jurisdictionem in illos non habent. De privilegiis ergo est dubium, quod ex parte pœnitentium, et ex parte confessorum tractari potest.

2. *An per Cruciatam queant religiosi eligere Confessorem.* — De pœnitentibus est commune dubium, an religiosus per Bullam Cruciatæ possit eligere confessorem approbatum quem voluerit, invito, vel non consentiente suo Prælati. Quæ res satis est controversa inter modernos, et multi partem affirmantem sequuntur; quia Bulla illa pro omnibus fidelibus conceditur, et quoad hanc facultatem generaliter etiam loquitur, illam tribuendo omnibus fidelibus; ergo comprehendit etiam religiosos, maxime cum sit favor, qui ampliandus est. Et quamvis religiosus, ratione status, indigeat facultate Prælati, ut licite accipiat Bullam, vel ut expendat eleemosynam ad illam necessariam, vel ut faciat actionem sine qua effectus Bullæ comparari non potest, tamen hæc licentia Prælati solum est necessaria ut recte et ordinate hæc fiant. Si tamen, prætermissis hoc ordine, et sine debita licentia fiant, facta tenent, et sufficiunt ad effectus Bullæ consequendos, si aliud impedimentum non obstat; quia ille modus recte operandi non est de substantia talis actionis vel effectus; nec culpa illa videtur ex suo genere esse grave peccatum; quod si aliquando fuerit, per pœnitentiam deleri poterit, exceptio tamen Bullæ valida manebit, et consequenter usus ejus poterit postea esse fructuosus. Igitur sive religiosus Bullam acceperit de licentia Prælati, sive non, poterit postea per illam eligere confessorem independentem a voluntate Prælati, quia non potest inferior Prælati prohibere facultatem a superiore datam, vel usum ejus; Pontifex autem, qui est supremus Prælati, dat facultatem eligendi confessorem; ergo non potest Prælati religionis illam prohibere. Et confirmatur: nam multi religiosi docti et timorati hanc sententiam sine scrupulo sequuntur in praxi, etiam videntibus suis Prælati, et tacentibus.

3. Respondeo nihilominus contrariam sententiam esse veram, securam, et religioni maxime consentaneam, quam plures et graves Theologi nostri temporis tenent; quibus addi possunt Garzia, de Benef., 2 p., cap. 5, a num. 6; Ledesm., 2, p. 4, q. 29, artic. 2; Corduba, in Annot. super regul. D. Francis.,

c. 7, q. 8, puncto 2; Parasel., de Privil. Minorum, cap. 10; Sebastianus a Costa d'Andrade, in Exposit. Cruciatæ, q. 107. Potest autem dupliciter fundari: primo, quia, licet in principio cum ea generalitate concessa sit, postea Pontifices revocarunt illam concessionem, quantum ad religiosos, eisque tanquam religionis privilegium concesserunt, ne quis posset ea facultate Bullæ uti. Ita concessit Minoribus Leo X, ut refertur in Supplem., concess. 144 et 168; et Pius V, Prædicatoribus, ut refertur Paraselus, in Compendio privilegiorum Minorum; et Emmanuel Rodriguez, post expositionem Bullæ Cruciatæ; et Alexander VI idem concessit Cisterciensibus, ut refertur in eorum Compendio, verb. *Cruciatæ*; et Gregor. XIII Societati Jesu, in Bulla de Usu facultatum. Ad hæc vero, et similia indulta responderi potest, hos Pontifices potuisse revocare priores Bullas, vel restringere quas ipsi concedebant; non tamen potuisse modum ponere posterioribus Pontificibus, et ideo per posteriores Bullas Cruciatæ revocari concessionem illam, et denuo facultatem illam generaliter concedi.

4. Sed contra hoc est, quia in ultima clausula ejusdem Bullæ, etiam expedita a posterioribus Pontificibus, additur limitatio, *exceptis tamen quæ concessa sunt Ordinibus Mendicantium superioribus, quoad eorum fratres.* Quæ exceptio generalis est, et ideo cadit non tantum in indulgentias, ut quidam sine ratione volunt, sed absolute in omnes gratias et facultates in Bulla concessas; nam clausula in fine posita, et verbis generalibus concepta, cadit in omnia præcedentia, ut juristæ communiter docent, et est per se evidens, quia si clausula sit distributiva, non debet restringi; si vero est indefinita, æquivaleret universali, neque est ulla ratio determinandi verba ad unam partem potius quam ad aliam, juxta ea quæ tradit Abbas, in cap. *Secundo requirit*, de Appellat., num. 10 et 11, cum Bartolo, in l. *Talis Scriptura*, ff. de Leg. 1; ergo ex vi illius clausulæ non revocatur illud privilegium religioni et superioribus concessum. Hoc vero fundamentum, licet sit probabile pro illis religiosis quibus illa concessio facta est, non vero satisfacit pro omnibus absolute. Item, licet habeat locum in dicta revocatione Bullæ Cruciatæ facta cum illa limitatione, non tamen in aliis Bullis, quæ generaliter loquuntur.

5. Secundo ergo, et melius, ut opinor, fundatur hæc sententia in hoc, quod talis facultas